

## 1319-1319- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Caturcum Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capitulo generalis apud Caturcum celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · XIX° ·

### **Iste sunt inchoaciones.**

Cum facilitas venie incentivum prebeat delinquenti, inchoamus hanc in capitulo de apostatis, ubi dicitur: nec ad aliquem tractatum eorum, que mittenda sunt ad generale vel provinciale capitulo, admittatur, dicatur sic: et quicumque fuerit convictus vel confessatus iudicialiter de lapsu carnis vel de furto aut carceri mancipatus vel apostataverit aliquo crimine perpetrato, in perpetuum sit omni voce privatus nec possit habere officium prioratus, supprioratus vel lectoratus, nec possit ad predicta nec ad aliquod predictorum restitu nisi per magistrum ordinis et capitulo generale; et ordinamus, quod predicta medio tempore inviolabiliter observentur.

Item. Cum propter distanciam provincie Grecie et graves difficultates ad magistrum ordinis accedendi dicta provincia priore provinciali longo tempore frequenter careat non sine dampno et periculo dispendio provincie memorare, inchoamus hanc: in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: quod si die statuta non elegerint vel postulaverint, qui debent eligere, potestas providendi ad magistrum ordinis transferatur, addatur sic: si tamen provinciale provincie Grecie mori vel amoveri contigerit in capitulo generali, aut antequam ad suam provinciam pervenerit, vel electum seu postulatum non confirmari contigerit seu confirmatum mori vel absolvi, antequam ad suam provinciam pervenerit, in hiis casibus prioris provincialis electio ad prefatam provinciam non pertineat, sed ei de priore provinciali magister ordinis provideat vel capitulo generale.

### **Iste sunt approbaciones.**

Ut gloriosi martyris beati Petri reverencia populorum cordibus arctius imprimatur, approbamus hanc, ut in matutinis et vesperis post memoriam de beato Dominico patre nostro fiat memoria de eodem.

Item. Cum propter distanciam Terre sancte et difficultatem ad magistrum ordinis accedendi dicta provincia sepe careat priore provinciali longo tempore non sine dampno et dispendio provincie memorare, approbamus hanc: in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: quod si die statuta non elegerint vel postulaverint, qui debent eligere, potestas providendi ad magistrum ordinis transferatur, addatur sic: si tamen provinciale Terre sancte mori vel amoveri contigerit in capitulo generali, aut antequam ad suam provinciam pervenerit, vel electum vel postulatum non confirmari contigerit, seu confirmatum mori vel absolvi, antequam ad suam provinciam pervenerit, in hiis casibus electio provincialis ad prefatam provinciam non pertineat, sed ei de priore provinciali magister ordinis provideat vel capitulo generale.

### **Iste sunt admoniciones et ordinaciones.**

Ad obviandum periculosis scandalis aliquorum, volumus et ordinamus, quod quicumque procuraverint promociones pro se vel pro aliis per quascumque personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas vel correctiones de se vel de aliis facientes impedire studuerint per easdem, omnibus graciis ordinis sint privati nec restitu possint ad ipsas vel ad aliquam predictarum nisi per magistrum ordinis vel capitulo generale.

Item. Ut Parisiense studium per fratres nostri ordinis efficacius honoretur, volumus et ordinamus, quod magistri et bachelarei in predicto studio commorantes, annis singulis per preceptum magistri ordinis cogantur districte, ut ipsi solum deum habentes pre oculis, exponant et scribant per literas speciales capitulo generali, quem iudicant esse de provincia Francie pro legendis sententiis apciorem.

Item. Volumus, quod ordinaciones precedentis capituli Lugdunensis, de non habendis pecuniis apud seculares quoscumque, de non contrahendis debitis et de apostatis iuxta ipsarum tenorem inviolabiliter observentur<sup>1</sup>. Item. Cum ex revelatione criminum visorum vel auditorum indebitis vel incautis fratum infamia contra caritatis ordinem sequatur multociens et turbacionis ac scandali multiplex materia ministretur, volumus et districte iniungimus, quod quicumque crimen aliquod de predictis, de ordine vel de fratribus publice non punitis, ex proposito persone, ad quam correctio non pertinet de predictis vel que non creditur probabiliter posse prodesse, ausus fuerit revelare, per priorem provinciale vel provinciale capitulo, postquam legitimate constiterit de discretorum fratum consilio pena criminosa debita puniatur.

Item. Ad compescendum inutiles fratrum discursus et sciencie fructum sollicieis procurandum, volumus et ordinamus, quod quicumque frater ad scholas lectoris non iverit, ingressu civitatis per triduum sit privatus et nichilominus in aqua abstineat illa die, nisi ita urgens et necessaria causa affuerit, propter quam prior et lector dictum fratrem habuerint excusatum, de quo eorum conscientias oneramus.

Item. Volumus et ordinamus, quod solum lectores principales habeant socios eisdem per priores conventum assignatos.

Item. Cum ex insolenciis fratrum ad generalia studia missorum vel mittendorum, frequenter ordini gravia scandala sint exorta, volumus et ordinamus, quod nullus provincialis fratres brigos vel notatos in vita ad studia predicta transmittat; si quis vero contrarium fecerit et scienter, per magistrum ordinis acrius puniatur.

Item. Cum certa loca pro fratrum refectione per ordinem sint statuta, volumus et ordinamus, quod nullus frater, nisi actu esset decumbens vel qui alias per conventum ire non posset, extra loca predicta comedere audeat sub

---

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 108 l. 7 sqq.

pretextu cuiuscumque gracie eidem concesse, nec in hoc possit prior provincialis quicumque preter magistrum ordinis cum aliquo dispensare. Quod si inveniretur aliquis predice ordinacionis transgressor, per priorem provinciale vel eius vicarium taliter puniatur, quod ei cedat ad penam et aliis in exemplum. Revocat autem magister ordinis omnem graciā per se vel predecessores suos in hoc casu cuicunque concessam.

Item. Ad subtrahendum fratibus materiam evagandi, volumus et ordinamus, quod quicumque ad magistrum ordinis sine sui prioris provincialis vel ad priorem provinciale sine sui prioris conventionalis licencia speciali ire presumpserit, per triennium sit voce privatus et nichilominus in primo conventu, ad quem dictum fratrem contigerit declinare, per magistrum seu provinciale ex integro circuletur. Licenciandi ad magistrum prioribus conventionalibus et eorum vicariis omnibus subtrahimus potestatem.

Item. Cum aliqui fratres graciis eisdem concessis per magistrum ordinis vel priores provinciales eorum non sine scandalo fratum multipliciter abutantur, de voluntate et assensu diffinitorum revocat magister ordinis omnes gracias concessas fratibus quibuscumque sive per se ipsum sive per magistros ordinis predecessores suos sive per priores provinciales quoscumque, graciis illorum, qui fuerunt provinciales vel sunt magistri in theologia et confessores regum, dumtaxat exceptis, et iniungit districte idem magister ordinis de predictorum consilio et assensu prioribus provincialibus universis et eorum vicariis, quod tales gracias de cetero non concedant.

Item. Cum ex eo quod priores et eorum loca tenentes et fratres ceteri a sequela communitatis se retrahant, multi conventus in diversis provinciis tam in spiritualibus quam in temporalibus sint plurimum destituti, iniungimus prioribus universis, ut a choro et refectorio se notabiliter non absentent nisi ex causa racionabili et urgente, et hoc idem faciant a suis subditis inviolabiliter observari. Quod si secus fecerint, per priores provinciales seu eorum vicarios in penam a suis officiis irremediabiliter absolvantur.

Item. Cum secundum ordinem caritatis communia proprii sint merito preponenda, districte iniungimus fratibus universis, quod ipsi in questibus, testamentis et ceteris casibus, quandocumque fuerit opportunum, procurent elemosynas et legata pro communi conventuum utilitate, non privata utilitate persone. Qui vero scienter et ex proposito dari persone private, sibi vel alii procuraverint, quod communitati alias secundum eorum conscientias erat dandum, infra mensem tantumdem conventui refundere teneantur, alioquin tanquam proprietarii habeantur, nec prior super hoc, excepto mortis articulo, cum ipsis valeat dispensare. Quod ut melius observetur, principalis in questo teneatur socio revelare, quidquid pro conventu datum fuerit vel quesitum.

Item. Volumus et ordinamus, quod quelibet provincia procuratori ordinis in curia quinque florenos de Florencia mittere teneatur.

Significamus omnibus, quod gracias sororibus nostris a prelatis omnibus quibuscumque concessas magister de diffinitorum consilio revocat et annullat.

#### Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: qui vices provincialis in omnibus obtinebit, immediate sequatur: donec prior eiusdem provincie sit electus et confirmatus, vel magister ordinis in predictis casibus aliter ordinaverit, et ipse provincialis vel ille, cui vices suas commiserit, presens in provincia extiterit. Et tunc continuetur sic: si vero prior illius domus, ubi provinciale capitulum fuerit celebrandum, in provincia presens non extiterit vel ex quacumque causa capitulo provinciali non interfuerit, simili modo etc., ut sequuntur.

Item hanc: in capitulo de electione prioris conventionalis, ubi dicitur: vota eligencium recipientur per subpriorēm vel eius vicarium in absencia subprioris, declaramus, quod vicarius datus per tres antiquiores de conventu vota eligencium potest recipere, si domus non habeat subpriorēm vel vicarium subprioris.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obedientie de diffinitorum consilio et assensu, ne frater aliquis nostri ordinis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali. Concedit tamen idem magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania in profestis diebus per totum annum dicatur cum versiculis et oracionibus consuetis.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et beato Dominico in aliqua vacante feria singulis septimanis et de beato Petro martyre ad minus semel infra quindenam in quolibet conventu sollempniter celebretur.

Notum facimus fratibus universis, quod fr. Bernardus de Molendino, prior provincie Tholosane, in loco capitulo anni preteriti, antequam ad suam provinciam redisset, migravit ad dominum; unde ei fratres ad statuta suffragia obligantur.

#### Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialeм provincie Lombardie superioris.

Item. Priores conventionales s. Gaudencii, s. Geronci, Petragoricensem et Albiensem.

Item. Absolvimus in penam priorem s. Severi, quia assignata iam die ad faciendum tractatum socii suum suppriorēm absolvit, et quia coegerit plures fratres sibi subditos iurare ad sancta dei evangelia, quod dicerent sibi, si vellent inducti per aliquem ad priorem provincialeм accedere ad dicendum aliquid contra ipsum. Et ordinamus, quod predicti fratres in eisdem provincie et conventibus hoc anno ad eadem officia nullatenus assumantur.

Ponimus vicarium generalem in provincia superioris Lombardie fratrem Iacobum de Gluciano, quousque prior provincialis in dicta provincia sit electus et confirmatus et presens fuerit in eadem; et volumus, quod dictus

vicarius locum provincialis capituli in eadem provincia celebrandi nullo modo mutare possit, sine magistri ordinis licencia speciali.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Benedictum de Cumis<sup>2</sup> de provincia Lombardie superioris. Item, quantum nostra interest, providemus de fratre Ugone de Valsemain<sup>3</sup> de provincia Francie, quod legat sentencias Parisius anno futuro.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris, baccalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicem approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Rothomagum in provincia Francie et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem aliis, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam sextam pentecostes immediate vigilam precedentem. Quicumque vero ad capitulum sine licencia venerint vel loco capituli cum intencione veniendi appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et socii eorum in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur, caritatively tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur. Concedimus provincie Hispanie unum conventum ponendum apud Lucronium<sup>4</sup>.

Item provincie Lombardie inferioris unum conventum ponendum in Veneciis in domo nova sancti Dominici.

Item. Provincie Provincie unum conventum ponendum in Barchinona.

Vult magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod ordinacio, que cavet, quod ille, qui legit sentencias anno precedenti, in sequenti sit magister studencium in studiis generalibus et sollempnibus, inviolabiliter observetur.

Explicita acta capituli generalis apud Caturcum celebrati anno domini · m° · ccc° · xix° · Deo gracias. Amen.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cfr. app. n. LXXI.

---

<sup>2</sup> De fr. Benedicto cf. supra pag. 110 l. 18.

<sup>3</sup> De fr. Hugone de Vaussemain cf. SSOP. I. pag. 580, DENIFLE Chartularium ind.; MOPH. II. pag. 111; MOPH. VII. pag. 23 l. 1 sqq.

<sup>4</sup> Cum hoc anno iterum provinciae Hispaniae concedatur, ut conventum Lucronii (Logrono) fundare possit, eadem concessio data Palentiae anno 1291 (Cf. MOPH. III p. 263), suum non sortita esse videtur effectum. Unde corrigas, quae l.c. nota I. scripsi de conventu Lucroniensi.